



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 231. Et Ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque  
deorsum. v. 51.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

creavit; Benedictus Filius, qui me redemit; Benedictus sit Spiritus S. qui me & ad hanc gratiam vocavit & Sacramentis suis sanctificavit. Laudent igitur & mecum in gratiarum actionem ipsum meum redemptorem cum Patre & Spiritu S. cœlum, terra, mare & omnis creatura ejus in æternum incessabiliter amen, amen: *fiat, fiat.*

§. 231. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum. v. 51.*

Ecce, ô homo, ad mortem creatoris tui moventur res inanimatæ, & cum vitam non habeant, luctum atque amorem assumunt & planctum quia rumpi, & quasi annihilari desiderant præ indignatione, & iniustitia, & crudelitate creaturæ rationalis in Deum factorem suum: alia motæ sunt & sonitum dedere præ gaudio, ob triumphantem Iesum contra inimicos eius & in interitum & terrorem impiorum: facta est autem hæc scissio grandis veli in templo, tum in detestationem Sacrilegii, quod commiserunt in Deum Judæi, tum in abominationem desolationis obventuræ iam iam veteri illi testamento: Summus Sacerdos Dei Caiphas cum audivit à Christo ipsum esse filium Dei, quasi hoc blasphemum esset scidit vestimenta sua in signum doloris: Deus etiam huiusmodi signum dare voluit in detestationem sceleris istius, quo & indicaret referata nunc esse mysteria veteris testamenti quæ variis modis tecta erant, nec non Sancta Sanctorum, id est gloriam cœlestem patere beatis per apertionem vulnerum Christi, & copiosam effusionem sanguinis eius, item abolitionem legis Judaicæ & transmigrationem Dei à Synagoga ad Ecclesiam, ad quod verificandum scribit S. Ephrem serm. de pass. Domini tunc temporis Columbam è templo evolasse, ut indicaretur migrasse à templo Iudæorum spiritum sanctum eiusque gratiam: & venire ad Ecclesiam Dei novi Testamenti, quam ipse spiritus sanctus accepit regendam & tutandam in sempiternum.

**V**eni Domine, & in me quoque velamentum intellectus, cæcitatem, & velamen voluntatis, malitiam & velamen potestatis executivæ, Excusationem à summo usque deorsum dirumpe in me & in cunctis qui in militante adhuc Ecclesia his velamentis sunt tecti. Revela te in nobis & ostende quod habites in nobis per illuminationem fidei exaltationem spei, fervorem caritatis, conversationem sanctam remoto omni fallaciæ & doli velamento Amen.

§. 232. *Et terra mota est. v. 51.*

Indignatur scilicet quod tam facinorosos & scelestos Deicidas portare debeat & crudeles in Creatorem alere, & quod non liceret eos vivos absorbere